



BEatus ille nobilibus parentibus natus ex Britannia Romam profectus est, ut à S. Petro in uera fide rectius institueretur. Cum autem in humanioribus literis optimè profecisset, atque Suetonius diceretur, Christianis dignus uisus est, qui doctrinam ueram perciperet, atq; eandem ubiq; disseminaret. Itaque baptizatus ab adepta foelicitate & spe uitæ æternæ Beatus dictus fuit. Is in patriam rediens in Heluetia substitit, atque eius regionis incolas in uera fide instruxit. Cum autem uerbum Dei plures auidè amplecterentur, apud Heluetios permanere, & Christum docere uoluit. Propterea non procul à lacu Thunense, sub op-

pido Vnderieuen suam habitationē fixit, omnia bona pauperibus distribuit, atque confluentes homines Christi meritum proposuit. donec tandem circa annum Domini centesimum decimum ibidem in uera fide obdormiuerit. Eius cella adhuc in dicto loco ostenditur. Legend. sanct. Stumpff. lib. 7.